

De fractura complicata praecipue corporum vertebrarum : dissertatio inauguralis medica .. / auctor Joannes Averweg.

Contributors

Averweg, Johann.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1834.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r539eugg>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D E 14
FRACTURA COMPLICATA
PRAECIPUE
CORPORUM VERTEBRARUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILIELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XVI. M. JANUARIi A. MDCCCXXXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICAE DEFENSURUS EST

AUCTOR

JOANNES AVERWEG

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

E. FRENTROP, MED. ET CHIR. CAND.

B. HALSBAND, MED. ET CHIR. CAND.

F. MOELLER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

H A S C E
L I T E R A R U M P R I M I T I A S

B E R N H A R D O A L B E R T W I E G
A M O R I S F R A T E R N I S I G N U M

WILHELMUS

ESSE VULT

AUCTOR.

LECTORI BENEVOLO!

In arte exercenda medica et chirurgica saepe morbi occurrunt, qui, quamvis leves ulliusque vix momenti videantur, spem tamen medici fallentes, nanciscuntur tristem exitum, eoque certam diagnosin, prognosin atque therapiam vix ac ne vix quidem admittunt. Naturam solam optimamque esse morborum medicatricem, vulgo quidem clamant; sed an vires ejus medicatrices tollendo morbo sufficiant, nec ne, naturaque num in nisu, quem salutarem esse ubique praefantur, nunquam abeat in aegroti perniciem, frenoque indigeat salubri, quzerenti, vana illi solent respondere et inania facere verba. Ex multis, quae hic afferre possim, exemplis, unum eligere et speciminis loco inauguralis accuratius illustrare mihi liceat. In opusculi autem de hac re conscribendi

et gangraena separantur, aut si gravior adest partium, quae juxta sunt, contusio, si nervi primarii et arteriae ejusdem partis violati sunt, aut si arteriae affectae ita sitae sunt, ut nullo modo ligari possint; quibus rebus totius corporis functiones magis minusve impediuntur et periculosissimi evenire possunt casus, ut: repentinus horror, pulsus acceleratus, inquietas, deliria et gangraena, quae quidem tanta persaepe progrediuntur celeritate, ut ne amputatione quidem praecaveri possint, et plerumque aegroti jam die nono moriantur (b). Ossa si plane contusa, vasa majora et nervi sunt rupti, ita ut inferiores partes membri in posterum ali non possint, amputatio, priusquam gangraena accesserit, indicata est, quod postea, viribus labefactis, periculosior fit operatio.

In omnibus reliquis casibus amputatio omnino est evitanda velut vulneratio gravissima, nam quoad saucii artus functio inferiorum partium nutriendarum non omnino est impedita, auspiciis vel difficillimis fractura reconvallescere potest.

Secus quidem res se habet, si de castrensi agitur medicina, in qua severius nobis agendum esse

(b) Flagani, Collezione d'osservazioni. T. III. Obs. 74.

Petit, Traité des maladies chirurgicales. T. II.

Sandifort, museum anatomicum. Lugd. Batav.

elucet, quod vulnerati justa cura frui nequeunt, angusto in loco contrusi, et saepius transportandi sunt; qua re fit, ut facilius gangraena maligna, suppuratio debilitans atque proprium contagium efficiatur.

Chirurgi primum prae ceteris omnibus est officium, ut ossium fragmenta et particulas, si fieri possit, facili dextraque manu removeat. Dolor, incitamentum et inflammatio nullo modo augenda sunt. Transversae ossium assulae eaeque majores serra removendae sunt; longe melius autem est, si contingit, os in situm reponere legitimum (c). Haemorrhagia arteriarum majorum ligatura impeditur, quod quidem negotium, etsi interdum difficile, fieri tamen potest, praesertim ope torcularis, glomisque diligenter adhibitis. Vinculi loco in omnibus fracturis complicatis octodecim vel viginti duorum capitum fascia vulgo adhibenda commendatur. Ceterum primis diebus minus in vinculum, quam in accuratum aptumque situm, sicuti ad inflammationem diminuendam frigidis epithematibus continuo applicandis convertenda esse diligentia mihi videtur. Partes igitur in situm aptum redactae linteis, aqua frigida immersis, tegendae, ac, ne recedant ossium fines compositi, duabus longis fe-

(c) Scarpa, in commentario de penitiori ossium structura. Lips. 1799.

rulis, quae lectulorum stramineorum formam edunt, retinendae sunt quieto in situ.

Novem seu decem ad minimum praeterlapsis diebus, fomentationes frigidas rejicias, et fasciam viginti duorum capitum, auctore Desault, adhibeas. Sed, ut jam antea dixi, curatione interdum neque solvitur inflammatio, neque efficitur suppuratio (d); quae quidem res periculosissima in hominibus male nutritis, et quorum humores depravati sunt, nonnunquam occurrit. Tum dolor, calor et rubor augeatur, vulnus humoribus destituitur, caret suppuratione crescitque febris. Desinunt ista: mutatur gangraena in sphacelum, rubor intensus cedit, membri color fit lividus, postea niger. Pars frigescit et emoritur, quod notatur epidermide bullis gangraenosis elevata (e).

Promptissimo jam opus est auxilio omniaque exacte observet medicus necesse est. Quamvis enim gangraena exorta est, tamen caveat, ne fomentationes incitantes applicet, sed potius per aliquod tempus adhuc caute methodum persequatur antiphlogisticam, donec gangraenae terminos indicet inflammatio. Tunc demum remittenda est methodus anti-

(d) Wright, in Philosoph. Transact. No. 46.

(e) Abernethy, surgical observations.

phlogistica (f). Neque raro in hominibus nimis debilibus, viribusque omnino consumptis, quamquam adest lenis inflammatio, graviora incidunt. Vehementibus cruciantur doloribus, quorum natura nervosa magis, quam inflammatoria: tensio enim itemque ortus ab inflammatione rubor omnino sublatus est. Et generatim et topice omnia reponenda sunt medicamenta antiphlogistica. Indicata est diaeta levis et nutriens, decoctum chinae cum acidis mineralibus praebere potest. In parvis dosibus, sed praecautè, aliquid vini et naphthae detur. Whitius moschum praecipue commendat. In loco vero ipso violato medicamenta aromatica magnam egregiamque vim exercere fere omnes consentiunt, exempli causa, calami aromatici, cascarillae, chamomillae, herbae roris marini infusum vinosum. In illis autem, qui jam aetate proveci sunt, et quibus desunt vires vitales, omnia, quae indicata sunt medicamenta egregia, omni carent effectu. Si partem gangraenosam scarificari satius videtur, caveas, ne partes saniores simul incidas, quod saniei gangraenosae incitatione inflammatio augetur, eaque re eversio propagatur. Vulnera gangraenosa linteis, balsamo Arcaei et camphora oblitis, tegantur.

(f) Latta, System of Surgery. Vol. 1. Cap. 6.

Si pulsus fit plenior, inflammatione gangraena limitata est, et partes mortuae detrusae sunt, illaque ipsa jam mitigata est, denique si suppuratio melior evenit; prognosis instituenda est fausta. Medicamenta incitantia sensim sunt mittenda, sed non plane rejicienda, et medici est, naturam adjutricem moderari et sustentare. Plerumque a natura sola, partes gangraena perditas ejiciente ac suppurationem cum granulatione provocante, sanatio perficitur. Si vero omnes partes molliores circa ossa detrusae sunt, nil nisi amputatio restat. Indicata autem est amputatio, si gangraena determinata est, et gradum sistit.

Ne nova exoriatur inflammatio maligna, membrum in partibus sanis, gangraenae proximis, amputetur. Ad sanationem perfectam balnea adhibenda sunt calida (g).

DE CALLI FORMATIONE.

Summo quoque studio in curandis fracturis adhibito, medicus saepe nihil proficit, et multa enumerari possunt exempla, in quibus ejusmodi aegri ad sanitatem non potuerunt reduci. Nam curatione generali instituta, ossium finibus in situm naturalem restitutis, aptoque apparatu adhibito; nihilominus in

(g) Malani de morbis ossium, Pisa 1793.

nonnullis casibus non perpetratur curatio propter impeditam calli formationem.

Boerhavius (*h*) exemplum profert, in quo degeneratione ossis carcinomatosa formatio calli et curatio impedita est.

Et van Esch (*i*) simile allegat exemplum, quo in formando callo caries accessit; Meeckren etiam de osteomalacia, callo formando adversa, loquitur (*k*).

Ut enim formetur callus, vitalem vim habere ossium fractorum fines necesse est. Fragmentorum superficies invicem sese tangere et nexu immobili semper perstare oportet.

De modo, quo callus formatur, permultae existunt opiniones non consentientes, quarum illa Boyeri longe praestantissima, me quidem iudice, esse videtur. Putat enim, lympa exsudata, quae ad jungenda ossa materiam organicam adducat, curationem maxime perfici. Constat quidem, periostei telaeque medullaris vasa initio lympham exhalare, in qua coagulata sensim sensimque, ut in mollibus corporis partibus, vasa formantur, quae materiam illam terraneam se-

(*h*) Boerhavius. Abhandlung vom Krebse und den Krankheiten der Knochen. Frankf. 1765.

(*i*) van Esch, Wahrnehmungen. T. III.

(*k*) Meeckren. Observations med. chirurg. C. 15.

cernunt. Haec autem initio mollis gelatinosaque, paulatim solidescit, atque deinde in callum mutatur, quo ossium fines junguntur. Mutationes hae omnes secunda, tertiave post fracturam hebdomade apparent, inter vigesimum vero diem et trigesimum, plerumque tamen inter trigesimum et quinquagesimum natura callus induratur, et in os verum mutatur, cum locis a fractura maxime remotis primum punctum ossificationis exoriatur, et paulatim reliquas versus partes extendatur. Si vero quibuscunque de causis os vel paulisper tantum a justo loco declinatum est, in eum, callo nondum indurato, denuo reponi, ut partes debilitatae non detorqueantur et deformentur, oportere elucet. Plerumque per octo hebdomades fracturis laborantes in lecto manere oportet: sed interdum jam quinta hebdomade permitti potest, ut aegroti, fasciis ferulisque bene instructi, fulcroque utentes e lecto surgant. Diligentissime iis autem commendandum, ut quam minime membrum fractum totumque corpus agitent, ne partes callo vix conjunctae denuo dispellantur.

Saepenumero vero callus, justo tempore praeterlapso, ad necessariam soliditatem non pervenit, cujus rei causas in mala fractarum partium coaptatione, nimia membri agitatione, morbis, qui praeterea ad-

sint, dyscrasicis, proveciore aetate, diminutis obrutisque vitae viribus et vi externa ponendas esse, Richerandus (l) contendit, quibus autem maxime articulus ille, qui dicitur spurius, formatur. Larreyus (m) motioni nimis extensae causam imputet.

Ossium fines hac ratione rotundantur et substantia obducuntur cartilaginosa, vel ut Boyer-us profert, interdum cum substantia ipsa ligamentosa cohaerent. Si coaptationem molles partes prohibent, quae finibus ossium inclusae sunt, nil aliud fieri potest, nisi tegumenta cutis percideris, partesque inclusas expediveris, ita ut ossium contactus restituatur, et conjunctio efficiatur. Si propter senectutem callus formari non potest, medicamenta sunt adhibenda corroborantia, alimenta que nutrientia, et apparatus deligationis per complures menses omnino non est attingendus (n). Falsus si formatus fuerit articulus et jam obductus superficie cartilaginosa, I. Hunter omnium primus fracturae fines invicem teri suasit, nova ut excitetur inflammatio eaque callus. Quod tamen praesertim tunc tantum commendandum esse videtur, quum recens est articulatio

(l) Nosographie chirurgicale. T. III. P. 37.

(m) Mémoires de chirurgie militaire. T. II.

(n) Wardropius in med. chirurg. Transact. Vol. 1.

spuria. Si superficies cartilaginosa jam induruerit, C. Whitius (o) in fracturam incidi et ossium fines serra desecari proposuit. Quae quidem operatio ultra, quam putaveris, audacior ter bene processit; Boyerus vero atque Richerandus septem aut octo enumerant exempla, in quibus haec operatio ad perfectam sanationem non reduxit aegrotum. Itemque remediis causticis nil efficitur ad curandum articulum spurium.

Wardropius proposuit, setaceum duci per articulum spurium, ut inflammatione restituta nova exoriatur calli formatio. Sed haec operatio plerumque prospero caret eventu, quia carie intercedente, ut setaceum amoveamus, cogimur. Weinholdius (p) vero hanc methodum bene mutavit. Vulnus infundibuliforme inflixit usque ad articulum et setaceum immisit cuneiforme: in dies tamen, ut cuneus fortius constringatur, vulnusque arctius pangatur necesse est. Initio tanquam laqueus setaceum contorquetur, paulatim vero in vulnere revolvitur, et eandem, ac articulus, aequat latitudinem.

(o) Cases in Surgery. P. 69.

(p) Hufelands Journal 1826. 5 St. Weinhold, von der Heilung des falschen Gelenks,

DE CORPORIS VERTEBRAE FRACTURA IN SPECIE.

Historia morbi.

H. W., operarius Halensis, corporis constitutione gaudens forti et robusta, habitu compacto atque torroso usque ad quinquagesimum aetatis annum optima fruebatur valetudine. Mediocribus opibus usus, frumenti spiritui largiter sorbendo assuetus, ebrius periculosissimos subire labores solebat. Die duodecimo Septembris 1831 posticae domus tectum cum ascendisset, in solum lapideum supinus decidit. Omnium sensuum impotem per duas horas ita jacentem invenerunt familiares, lectoque inposuerunt, atque quam primum auxilium imploraverunt in nosocomio chirurgico Halensi, h. t. directore Cel. Blasius Florente. — Aegroti facies pallida, decomposita atque perturbata, cutis laxa atque calida, musculi soluti. Querebatur aegrotus (mentis compos factus) de doloribus vehementissimis in dorsi regione, de extremitatum inferiorum rigore atque formicationis sensu in iisdem. In vertebrarum dorsi regione tumorem permagnum conspeximus et processum spinosum vertebrae dorsalis undecimae valde eminentem, duodecimae ejusdem processum spinosum autem incli-

natum invenimus, ita ut vertebrarum columnae pars superior extus, inferior autem intus spectaret. Processus ipsi sp. erant immobiles et nusquam crepitatio audiebatur. Extremitates inferiores aegrotus movere non poterat, sensuque eae omnino carebant.

Lecto commodo primum parato, per aliquod tempus adhibita est methodus antiphlogistica. Venaesectio unciarum viginti instituta et hirudinum numerus sufficiens ad locum affectum applicatus est. Praeterea interne adhibebatur solutio ammonii muriatici cum Kali nitrico, et ad lavandas extremitates inferiores spiritus camphoratus. Die sequente aegrotus de urinae retentione questus est, quam ob rem cathetere utendum fuit, alvi dejectio clysmate adhibito facta erat. Ab eo inde tempore bis quotidie per catheterem urina movenda erat, quae plerumque tam pituitosa fuit, ut non sine magna molestia per eum mitteretur; interdum vero involuntarie urinae reddita est. Alvi dejectiones nunc semper sine voluntate sequebantur. Superato deinde inflammationis stadio, methodus antiphlogistica est relicta, et in ejus locum vocata remedia excitantia atque roborantia.

Sumsit aegrotus:

℞. Inf. fl. arnicae (e ℥ijj par) ℥vj

Liq. ammon. acetic. ℥i℔

Syrup. simpl. ℥j

M. D. S. altera quaque hora cochlear unum.

Lotiones sp. camph. adhuc continuabantur.

Hac curandi methodo vita aegrotantis misera per aliquod tempus servata, et quantum fieri poterat, sublevata est. Vires ejus autem in dies magis magisque corruebant, concoctio haud bene procedebat, et in extremitatibus ipsis aequae ac in scroto iisque in locis, qui decubitu premebantur, gangraenosa exorta sunt ulcera, quae saniem excernebant acrem, atque partes juxta sitas corrodebant. Nullis remediis, ne gangraena latius progrediretur, omissis, nihilominus extremitates inferiores plurimis in locis gangraena corripiebantur, quam ob rem aegroti vires magis magisque sunt consumptae. Tandem accessit febris hectica, qua aegrotus tantopere debilitatus atque exhaustus est, ut die vigesimo Novembris ejusdem anni misera decederet vita.

In cadaveris obductione columna vertebrarum ex parte excepta et a musculis ligamentisque ossibus nudatis, extemplo undecimae vertebrae dorsalis corpus apparuit fractum. Quippe quod superne et intus, deorsum et extrinsecus oblique erat fissum, ita

ut arcus cum suis processibus parti superiori illigatus mansisset. Fracti corporis altera pars praeterea multifarie diffissa erat. Corporis gravitate pars superior columnae vertebrarum deorsum et extrinsecus, inferior autem intus erat pressa. Fragmentorum superficies carie affectae erant, et calli ne minima quidem rudimenta animadvertebantur. Medulla spinalis erat compressa sed non laesa, et in integumentis inflammationis praeteritae vestigia apparebant, neque vero in medulla ipsa. Vesica urinaria erat valde contracta, et continebat urinam pituitosam atque spissam.

Nunc ad consideranda ea, quae ad statuendam diagnosin, prognosin, atque ad aetiologiam pertinent, animum convertamus.

Corpora columnae vertebrarum a natura directo situ posita sub ambobus ossium finibus protuberantiam proferunt veram: quod vero et in corporibus fractis et luxatis accidere solet.

In columnae vertebrae canali medulla spinalis inclusa comprimitur, nervi inde orti, ex parte abrumpuntur, ex parte quam maxime distortentur. Atamen talis medullae spinalis lenis compressio non tantopere, quantum ejus commotio, nocere videtur; parvam enim commotionem saepissime mors sequitur,

ut Ricou (a) observationibus suis docet. Multo saepius quoque medulla spinalis commotione quam compressione offenditur, quia illa in columnae vertebrarum canali non arcte includitur, et aliquid spatii restat. Experientia docet, medullae spinalis vulnerationem aliquam non semper statim mortem sequi; cuius rei D. I. Bohr exemplum profert (b). Animadverterat enim quendam, cuius inter secundam et tertiam vertebra lumbalem glande plumbea invecta, medullae spinalis sinistra pars laniata erat, usque ad vigesimum diem viventem. Quin et experientia docet, medullam spinal. aliqua distantia a capite scissam, coalescere, sed non statim regenerari, ita ut paralysis ipsa desinat, quod Arnemannus (c) egregiis experimentis, quae in canibus et Monrosé (d) in ranis instituerat, nos edocent.

Ossis utriusque finium pressu in medullam sp. et nervorum expansione efficitur, ut aegrotus quam maximos sentiat dolores, qui et exiguo tactu atque

(a) Memoires et observations sur les Commotions de la Moëlle epinere im Museum der Heilkunde. Zürich 1792.

(b) De renunciatione vulnerum.

(c) Versuche an lebendigen Thieren. B. 2. Göttingen 1787.

(d) Bemerkungen über die Struktur des Nervensystems, Leipzig 1784.

motu augentur; tum, ut cerebrum et medulla oblongata vim legitimam in nervos infra fracturam sitos non exserere possint, quam ob rem omnes partes, quae pelvi continentur, extremitates inferiores, omnino omnia organa infra fracturam sita paralysi afficiuntur, et saepe quoque omni sensu orba redduntur. Natura ad alvum urinamque movendam non urgente, organis functioni naturali plane imparibus factis, primis morbi diebus clysmate et cathetere utamur necesse est.

Paralysi et clysmatis et catheteris usu permanente, eaque re contractio sphincterum, quae ineunte paralysi adesse solet, tollitur, et laxi redduntur, quo fit, ut post aliquod morbi tempus excretiones sine voluntate fiant.

Ossium finibus medullam sp. semper prementibus (repositio enim, ut infra ostendetur, aut omnino aut sufficienter effici non potest) nervis ea de causa munere non fungentibus; omnes partes infra fracturam male alantur, indeque atrophia atque gangraena, quae aegrotum consumunt, accedant necesse est.

Vertebrae tam firma gaudent positione et contra quamcunque vim externam adeo sunt munitae, ut vi tantum vehementissima possint frangi. Ceterum, si quis ejusmodi fracturas cum iisdem ab aliis animad-

versis comparaverit, saepius vertebrae, lapsu ex alto in rem solidam, quam aliis viribus, praetereaque corpora facilius, quam processus spinosi et transversi, in quos primam tamen vim habebit impulsus, frangi videntur; quin ligamenta majori resistunt vi, quam vertebrae ipsae. Cujus rei causas processuum firmitas, ligamentorum tenacitas ossiumque rigor exhibere videntur. Saepius ea de causa vertebrae franguntur quam luxantur. Neque raro vertebrae tam rigidas invenimus, ut haud ita magna vi frangantur, idque dyscrasiae cuidam aut aliis morbis adscribendum puto. B. Bell (e) glandibus plumbeis saepius, quam alia quacunque vi vertebrae frangi contendit. Heisterus vero Goueym vertebrarum corpora glandibus plumbeis tantum frangi contendentem propria refutavit experientia (f).

Exitus.

Ex enarratis maximam ad partem coniecere licet, mali ejusmodi exitum plerumque esse letalem, ita ut aegroti, etsi non statim, tamen serius citiusque post quatuor aut sex menses moriantur. Quae cum ita sint, quid mirum, si talis fractura prognosin non

(e) Lehrbegriff der Wundarzneykunst. Leipzig 1790.

(f) Institutiones chirurgiae. Amstelod. 1750.

admittit, nisi pessimam. Nervi enim, qui, ut corporis functiones exercentur, maximi sunt momenti, laesi infra fracturam solitos effectus proferre non possunt, quapropter hae partes moriuntur et trans-eunt in ulcera gangraenosa, quae usque crescunt, aegrotique vires consumunt, quibus accedentes mala concoctio atque febris hectica aegrotantem plane exhauriunt.

Omnia ejusmodi fracturarum hunc esse exitum, nisi mors extemplo secuta sit, comparandis, quae alii auctores de hac re memoriae tradiderunt, fusius ostendere mihi liceat.

De la Motte (g) rhedarium quendam vidit, qui e carpenti sede delapsus, vertebrae lumbali fracta, quinque diebus post mortem obiit.

Idem alium, cujus in regionem lumbalem cante-rius deciderat, morientem vidit. In utroque casu extremitatum inferiorum paralysis et involuntariae alvi dejectiones aderant.

P. Tabarani (h) vertebrarum plures proponit fractarum casus, comitatos extremitatum paralysis et

(g) Traite complet de chirurgie par Mr. Guillaume Mauquest de la Motte. Paris 1732. Obs. 348.

(h) Memoire sopra la fisica Cistoria naturale da diversi Valentuomini. Luccae 1743.

alvi iducendae impotentia, quorum omnium exitus mors fuit.

— Valsalva (i) casum hunc refert: quadraginta sex annorum viri os lumbale ligno decidente fractum erat. Extremitatibus inf. motus deerat, sentiendi facultas manserat, alvi dejectiones sine voluntate fiebant, urina solo cathetere erat mittenda. Decimo quarto die mortuus est, et sectione cadaveris facta vertebrae lumbalis primae corpus in nonnullis partibus inventum est fractum.

Heisterus (k) quendam, cum ex alto supinus decidisset, vertebrae dorsalis corpore fracto, eaque remedulla spinali lacerata, sexto morbi die mortem obiisse enarrat.

Ejusmodi plures casus referunt Theden (l), Trew (m), et alii, quorum omnium infelix erat exitus.

Ruedigerus (n) solus fracturam, luxationi con-

(i) De sedibus et causis morborum. Venet. 1761.

(k) Chirurgische anatomische Wahrnehmungen. Rostock 1770.

(l) Bemerkungen und Erfahrungen. Berlin 1782.

(m) Ephemerid. Nat. Cent. vii. obs. 81, Norimb. 1719.

(n) In Schmuckers vermischten chirurgischen Schriften. Berlin 1776.

junctam, omnino prospere se curasse dicit. Sed per-
 multi, an res vera sit, dubitant, ita ut Platnerus (o)
 hominem illum restitutum esse, mirum esse dicat. —
 Ob infaustum hunc exitum medicorum de curandis
 hisce fracturis diversae sunt opiniones et Platne-
 rus (p) de vertebrarum corporis fractura agens,
 nullam plerumque hujus rei curationem esse, dicit.
 Quae verba sincerius dicta putes, quam quae dubium
 relinquunt. Ars enim chirurgica hoc in morbo mi-
 nime valet: inflammationem et ejusdem mala sym-
 ptomata diminuere, aegroti vitam quam diutissime
 sustentare et quam optime sublevare, potissimum,
 quod facere possumus, esse videtur. Heisterus (q)
 commendat, ut ad repositionem faciendam incisuras
 instituas, quas de Gorten (r) comprobat dicens:
 Si vero major pars vertebrae est fracta, (ut medul-
 lam spinalem comprimat, ex accidente paralysi, in-
 sensibilitate, stupore, involuntaria urinae et faecum
 evacuatione cognoscenda, promptam restitutionem ex-
 igit, si praecedenti modo obtineri non possit, facienda
 est incisio, ut restituatur fractura vel eximatur frag-

(o) Institutiones chirurgiae. Lips. 1733.

(p) Institutiones chirurgiae rationales. Lips. 1733.

(q) Institutiones chirurgiae. Amstelod. 1750.

(r) De Gorten, Chirurgia repurgata Lugd. Batav. 1742.

mentum, nam alias certe morietur aeger. Quae incisio, si comprobaris sententiam, tum tantum erit perficienda, si processus spinosus fractus labat, aut alia ossis fragmenta sub cute sita sunt: si autem feceris ad reponendum vertebrae corpus fractum, in repositione semper infelix eris, et si felix in eadem fueris, in retentione tamen laborabis, quod fasciae vinculaque, ut partes fractae in loco suo retineantur, nihil proficient, sed potius pressu partium mollium nocent, quia hoc modo ulcera gangraenosa proferuntur, quae mortem certam ultra accelerare possunt. Praeterea si sufficientes facias incisuras, quae vulnera tum provenient! Itaque consentaneum aptumque aegrotantis situm parari et curam supra nominatam adhiberi, ex mea quidem sententia, in hisce curandis fracturis optima est agendi ratio.

in... nam illas certe moritur...
citas, si computabaris...
fractura, si processus...
eas fragmenta...
ad reponendum...
tione semper...
in retentione...
que, ut partes...
prohibent...

VITAE CURRICULUM.

Ego Joannes Averweg, Guestphalus, natus sum in Albachten, pago prope Monasterium, anno hujus saeculi octavo, patre Hermanno et matre Catharina, e gente Konermann, fidemque confiteor catholicam. Absoluto in gymnasio Monasteriensi, directore Cel. Nadermann quam maxime florente, cursu scholastico, testimonio maturitatis munitus, paschali tempore 1829 in illam Academiam me contuli, lectiones et philosophicas Academiae et propaedeuticas ad artem medicam in Instituto regio medico-chirurgico auditurus; et ab Ill. Katerkamp, cui h. t. erant

fascis academici in numerum civium academico-
rum sum receptus. Per quatuor dein semestria
his lectionibus interfui. Ill. Roling de physice
et astronomia, Cel. Bodde de chemia, Cel.
Becks de zoologia; praeterea Ill. Wutzer de
anatomia generali et speciali. Cel. Tourtual
jun. de osteologia et syndesmologia, de chirur-
gia tam generali quam speciali. Cel. Haindorf
de physiologia. Cel. Bodde de diaeto-therapia
et pharmacologia. Cel. Busch de pathologia et
therapia tam generali quam speciali.

Hoc tempore praeterlapso Halam petii, et
ab Ill. Gruber h. t. prorectore civis academici
locum accepi et Ill. Sprengel de botanice, Ill.
Gerlach de logice, Ill. Hinrichs de psycho-
logia, Ill. Germar de mineralogia, Ill. Blasius
de arte fascias applicandi, de fracturis et luxatio-
nibus nec non de akiurgia atque de morbis ocu-
lorum disserentes audivi. Scholae clinico-medi-
cae per semestre et chirurgico ophthalmiatricae
per dua semestria ducibus Ill. Krukenberg et
Ill. Blasius interfui.

30
At jam autumno anni 1832 Berolinum
me converti, et ab Ill. Weifs h. t. rectore ma-
gnifico et ab Ill. Osann h. t. decano spectabili,
medicinae studiosis adscriptus sum. Ex eo tem-
pore audiui Cel. Hecker de medicinae historia,
Ill. Busch de puerperarum morbis nec non de
arte obstetricia disserentes. Institutionibus clini-
cis interfui medicis Ill. Bartels et obstetriciis
Ill. Busch.

Quibus praeceptoribus omnibus, summopere
de me meritis, quam maximas possum, gratias ago.

Jam tentamine philosophico medicoque nec
non examine rigoroso coram gratioso medicorum
ordine rite absolutis, spero fore, ut dissertatione
thesibusque palam defensis, summi in medicina
et chirurgia honores in me conferantur.
